



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXII. Vtrum terminationes liberæ diuinæ distinguantur virtualiter
intrinsicè inter se, & à prædicatis necessariis Dei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Art. 1. Ad 4. Constat ex dictis supra, nihil actualiter præsens, siue sit denominatio, & effectus formalis, siue sit entitas non denominatiua, posse, vel etiam inadæquatè constitui intrinsicè per aliquid actualiter non præsens; & multò minùs aliquid æternum posse, vel etiam partialiter, constitui intrinsicè per aliquid temporale; ac demum manifestissimum esse, differentiam, quæ datur ab æterno, inter vnum, & aliud prædicatum itidem æternum, non posse constitui adæquatè per aliquid temporale. Quæ cum sint clarissimè demonstrata, non deberent deferri, tametsi occurreret aliquod concretum, de cuius omnibus partibus, & adæquata constitutione non vsque adeò constaret clarè. Quia, quæ sunt clarissima, non debent deferri propter ea, quæ sunt obscuriora; nec est reiicienda scientia vnius propter ignorantiam alicuius alterius. Verùm nihil eiusmodi occurrit in contrarium in re præsentis. Eiusmodi certè non sunt, quæ proponuntur in obiectione.

Art. 2. Quod ad domum antiquam in primis attinet; Omnia sublunaria acquirunt, temporis decursu, accidentia & dispositiones sibi intrinsicè inhærentes, quales recens facta habere naturaliter non possunt. Vnde domus antiqua, & noua, differunt intrinsicè per dispositionem tunc naturaliter inexistentem, cum exiit nouitas, & antiquitas domus, & domus ipsa habet in se actualiter, & physicè aliquid præsens, vnde sit noua, & non antiqua; aut è conuerso. Quod si nihil eiusmodi supponatur dari de præsentis in domo antiqua, antiquitas eius erit denominatio extrinseca præsens, intrinsicè constituta non per existentiam eius, aut durationem iam præteritam; sed per præsentem, aut memoriam actualem creatam, vel habitualem indistinctam à præsentibus speciebus impressis durationis præteritæ; aut cognitionem Diuinam eiusdem præteritæ durationis actualiter præsentem physicè, ideòque actualiter denominantem. Qualis utique nunc est senectus Angelorum, & antiquitas Cælorum. Quod tamen additum à nobis est ex abundanti, & pro euentu, vel imaginato tantum, vel miraculoso. Quia nulla talis antiquitas, seu senectus in rebus sublunaribus naturaliter contingere potest re ipsa.

Art. 3. Deinde propositio naturalis de futuro contingenti est vera de præsentis per solam denominationem extrinsecam à cognitione Diuina, vel à creata supernaturali circa idem obiectum, quatenus sibi coexistente physicè, & habente intrinsecam conformitatem cum obiecto: nec potest eadem propositio naturalis esse aliter vera de præsentis per solam denominationem extrinsecam prouenientem immediatè ab obiecto contingenti non existenti, nec præsentis physicè respectu eiusdem propositionis secundum se, vt alibi pluribus ostensum est, & innotuit satis q. 17. ex qua præterea liquet Philosophum contradicere aduersariis nostris, quoad istud exemplum. Ideò enim ille putauit propositionem singularem, & determinatam de futuro contingenti nec esse determinatè veram, nec determinatè falsam, quia nulla determinata denominatio potest conuenire subiecto ex sese indifferenti ratione alicuius nondum existentis, nec habentis in se intrinsicè de præsentis determinationem potius ad esse, quam ad non esse. Nec D. Thomas putauit aliter posse vitari vim rationis Philosophi respectu etiam Diuinæ cognitionis, nisi inducta præsentia physica futurorum contingentium respectu eiusdem, vt ibidem innotuit. Quare auctores istorum exemplorum habent contradicentes sibi eam tenens duos istos summos Doctores.

Art. 4. Voluntas denique conditionata transit in absolutam sola positione conditionis, quoad aliquos effectus morales pendentes à fictione iuris, & à lege,

vel contractu antecedenti, & perseveranti physicè per se, vel per aliquem suum effectum, cum ponitur conditio. Quoad alios verò effectus præstabiles immediatè à solo actu voluntatis secundum se, non datur talis transitus propriè, sed necesse est, vt succedat alius actus intrinsicè absolutus. De quo similiter dictum est ex proposito alibi, & vniuiusque potest facile experiri, si proponat conditionatè mouere manum, aut pedem, si compareat Petrus, ipso comparente, non subsequi eum motum, si ex memoria propositi eius conditionati non suboritur actus alius absolute imperans motum manui, aut pedi. Præterea iis omnibus transmissis, vt intendit obiectio, supersunt nihilominus rationes aliæ speciales discriminis respectu terminationum liberarum Dei, ne & ipsæ possint similiter compleri per aliquid temporale, aut qualitercumque distinctum à Deo realiter, vt apparet ex dictis supra art. 11. 17. 18. & 19.

Art. 5. Quod in eadem obiectione suggeritur, de actione, seu carentia temporali habente rationem solius conditionis sine qua non, vt cognitio, & volitio Dei necessaria ex se præcisè disiunctiua denominet determinatè, nihil est. Quia quod requiritur ad aliquem effectum formalem ratione sui, & non ratione alterius, siue, vt aliquid aliud existat entitatiuè distinctum ab ipso, nihil re ipsa differt à forma partiali, seu à parte intrinsicè constitutiua ipsius effectus formalis, vt demonstrabitur efficaciter in qq. de Sacramentis circa constitutionem intrinsecam Sacramenti per intentionem Ministri. Deinde quod nondum est secundum se, tam nondum est in ratione conditionis sine qua non, quam nondum est in ratione formæ, seu partis, ideòque vtrius modo est æquè inutile ad determinationem Dei æternam circa res temporales, & ad discrimen æternum Dei volentis à nolente.

Ad 5. Pater satis ex dictis supra ab artic. 14. ad 20. nempe illam sententiam de veritatibus obiectiuis in se intrinsicè æternis ita vitare difficultates aliquas opinionum in scholis frequentium, vt incidat in alias longè maiores, & metaphysicas, & theologicas, agnitas insuperabiles inter alios à D. Thoma, & D. Bonauentura relatis in illo art. 14.

QVÆSTIO XXII.

Verum terminationes liberae Diuinæ distinguantur virtualiter intrinsicè inter se, & à predicatis necessariis Dei?



IDENTVR neutrius distinctionis esse capaces. 1. Quia vna volitio necessaria virtualiter intrinsicè simplex sufficit pro omni obiecto necessario, & Diuino. Et rursum eadem volitio, quia est infinita perfectionis, æquualet perfectè, per se ipsam præcisè, cuius volitionum creatarum, etiam inuicem oppositarum multitudini reali, ideòque potest se sola præstare effectus formales, etiam inuicem oppositos, æquivalentes perfectè quibuscumque omnium illarum effectibus formalibus. Ergo non est necessaria vlla distinctio virtualis obiectiua, & intrinseca, aut plurium terminationum liberarum Dei pro pluribus rebus creatis, aut terminationis vllius superadditæ virtualiter intrinsicè volitioni necessariae Dei.

2. Data

2. Data in Deo formaliter libera virtualiter intrinsecè distincta à prædicatis eius necessariis, sequitur idem prædicatum simul, & semel posse esse ex vna parte defectibile, & nobile, seu odibile, & contemptibile à Deo; quia est de conceptu exercitij liberi, vt sit tale; Et ex alia parte esse Diuinum, esse Deum, atque infinitè amatum, & æstimatum à Deo; quia quiddam est identificatum realiter cum Deo, est huiusmodi ex conceptu suo. Implicat autem aperte, eidem prædicato hæc omnia simul inesse formaliter ex conceptu suo. Ergo non est admittenda vlla huiusmodi formalitas distincta virtualiter ex parte obiecti à prædicatis necessariis Dei.

3. Non sunt admittendæ in Deo tot terminationes liberæ virtualiter intrinsecè distinctæ, quod sunt obiecta creata realiter inuicem separabilia. Ergo non est amittenda, nisi vnica tantum eiusmodi terminatio. Patet consequentia. Quia data semel vna aliqua terminatio virtualiter intrinsecè simplici, & amplectente nihilominus aliqua duo obiecta realiter separabilia mutuo, nullum superest fundamentum multiplicandi virtualiter intrinsecè plures terminationes propter multitudinem maiorem obiectorum inuicem separabilium. Probarur antecedens. Quia vnus actus creatus potest amplecti duo obiecta inuicem, quæ ex sua natura sunt absolute separabilia. Deus autem sufficit per vnam suam formalitatem virtualiter intrinsecè simplicem ad præstandum, vt minimum, tantundem, atque præstare potest voluntas creata per vnum suum actum realiter simplicem.

Art. 1. Respondetur. Dictum est q. 4. eas formalitates Diuinas distingui inter se virtualiter intrinsecè, quibus, vt sunt in se à parte rei, conueniunt prædicata contradictoria, & rursus formalitates, quibus conueniunt prædicata huiusmodi contradictoria, distinguuntur inter se realiter saltem inadæquate, & in tertio aliquo prædicato. Volitioni autem Diuinæ necessariæ, & liberæ, seu Deo quatenus volenti necessariò simpliciter, & volenti liberè simpliciter, conueniunt in se à parte rei, prædicata contradictoria. Quia volitioni necessariæ, & Deo quatenus volenti necessariò, conuenit non posse non esse, & non posse nolle, seu non velle, quod necessariò vult: volitioni verò liberæ, & Deo quatenus liberè conuenit posse non esse, & posse nolle, seu non velle, quod vult liberè, quatenus liberè vult. Rursus Deo quatenus necessariò volenti se ipsum conuenit esse indifferentem ad existentiam mundi; quatenus verò volenti liberè existentiam mundi, conuenit non esse amplius indifferentem, sed determinatum ad eandem existentiam, vt defecto existit determinatus, & minime adhuc indifferens. Hæc autem sunt formaliter, & immediatè contradictoria; & vtrique dicuntur de Deo, vt est in se à parte rei; sicut de essentia Diuina dicitur esse communem tribus Personis, & de Paternitate non esse communem eisdem. Ergo formalitates, ratione quarum conueniunt Deo prædicata ista inter se opposita, distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè. Conueniunt autem ratione volitionis necessariæ, & ratione terminationis liberæ, seu habitudinis ad extra. Igitur duæ istæ formalitates distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè; sicut distinguuntur essentia Diuina, & Paternitas.

Art. 2. Ex terminationibus liberis, aliæ sunt inuicem impossibiles, vt volitio, & nolitio mundi, aliæ sunt impossibiles, simulque inseparabiles mutuo, vt volitio efficax, & scientia visionis de existentia Petri: Aliæ sunt impossibiles, simulque separabiles inuicem saltem non mutuo, vt volitio efficax saltem aliqua de existentia humanitatis, quæ de facto assumpta est à verbo Diuino, & volitio efficax

vnionis hypostaticæ per quam de facto vnita est eadem humanitas Verbo. Terminationes liberæ inuicem impossibiles distinguuntur inter se realiter, sicut Paternitas, & Filiatio. Quia terminationes, quæ sunt inuicem impossibiles, non possunt sibi inuicem communicari summe, nec possunt affirmari mutuo, vt patet; cum vtralibet essentialiter excludat ex se alteram; ac proinde repugnant essentialiter mutua identitati reali, quæ in tali communicatione, & affirmabilitate mutua consistit. Confirmatur. Quia oppositio impossibilitatis secundum esse est maxima oppositio, certè non est minor oppositio, quam oppositio relationis. Ergo si hæc oppositio distinguit realiter Paternitatem à Filiatione, quibus inest; illa quoque distinguit realiter terminationes, inter quas veratur.

Art. 3. Terminationes autem, quæ sunt inseparabiles mutuo; ita vt neutra sine altera dari possit, eo ipso sunt indistinctæ virtualiter intrinsecè. Quia terminationes mutuo inseparabiles, necessariò, & identificantur realiter cum iisdem omnibus, & realiter distinguuntur ab iisdem omnibus. Ratione namque inseparabilitatis mutue necessariò coexistunt iisdem omnibus prædicatis Diuinis, & cum iisdem omnibus sunt impossibiles. Ratione verò Diuinæ simplicitatis identificantur realiter actu, vel potentia cum omnibus & solis prædicatis Diuinis sibi coexistentibus actu, vel potentia; quandoquidem terminationes liberæ Diuinæ nullam habent oppositionem relationis ad intra, sed solum ad extra; & repugnat inesse oppositionem relationis ad extra terminationibus mutuo inseparabilibus. Nullum igitur est tertium prædicatum, in quo distinguantur realiter terminationes liberæ mutuo inseparabiles. Quæ tamen distinctio realis in tertio, est omnino necessaria ad distinctionem virtualem intrinsecam immediatam duarum formalitatum, vt dictum est.

Art. 4. Denum terminationes, quæ sunt separabiles non mutuo; ita vt vna earum dari possit sine altera, non verò è conuerso, distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè tantum. Quia terminationes separabiles non mutuo, distinguuntur eo ipso realiter in aliquo tertio. Terminatio enim, quæ potest existere separata ab alia terminatione, eo ipso potest coexistere terminationi oppositæ, & consequenter potest identificari realiter cum eadem terminatione opposita. At terminatio, quæ non est similiter separabilis à priori terminatione separabili respectu sui, est impossibilis cum eadem terminatione sibi opposita, & consequenter est distincta realiter ab ipsa, iuxta nuper dicta. Ergo terminationes inuicem separabiles non mutuo, eo ipso distinguuntur inter se realiter in aliquo tertio, nempe in ea terminatione, quæ est identificabilis cum altera earum, & impossibilis cum altera. Distinctio autem realis in tertio sufficit ad distinctionem virtualem intrinsecam immediatam, iuxta dicta. Istæ tres regulæ vniuersales reddentur clariore, & vtiliores deductis breuiter inde illatiunculis nonnullis.

Art. 5. Colligitur itaque primò, volitionem Dei liberam de existentia mundi, quatenus libera est, distingui realiter à nolitione libera mundi quatenus libera; atque denominationem Dei volentis liberè mundum includere in se prædicatum aliquod distinctum realiter ab aliquo prædicato inclusio in denominatione nolentis liberè mundum. Quia ex volitio, & nolitio liberæ, quatenus liberæ, & denominationes, quæ consequuntur ad ipsas, sunt inuicem impossibiles, vt patet. Eadem est ratio de cognitione existentie mundi, & de cognitione non existentie eiusdem, deque omnibus similibus.

Art. 6. Colligitur rursus è conuerso, cognitio-

nem, & volitionem existentiae mundi non distingui inter se virtualiter intrinsecè, sed solum extrinsecè, & relatè ad connotata creata. Quia sunt inseparabiles mutuò, vt patet. Eadem est ratio de nolitione existentiae mundi, & de cognitione negante eam existentiam; nec non de prædefinitione Diuina efficaci cuiusvis alterius obiecti comparata cum cognitione existentiae eius; De volitione item permissiua peccati, & de cognitione futuritionis eius; deque omnibus similibus. Vnde apparet, omnem Dei volitionem esse indistinctam virtualiter intrinsecè ab aliqua cognitione, nempe à cognitione sui, & obiecti efficaciter voliti per eandem; idemque dicitur proportionaliter de cognitione respectu volitionis.

Art. 7. Colligitur indidem vltèrius, aduersus P. Suarez, & alleclas, non esse admittendos in Deo ordines intentionis, & executionis distinctos inter se virtualiter intrinsecè, saltem circa obiecta adequatè eadem. Quia voluntas Diuina efficaciter intentione alicuius obiecti est essentialiter inseparabilis à voluntate executiua eiusdem obiecti; atque hæc est similiter inseparabilis ab illa. Nihil namque executioni mandari potest, nisi intendente, aut permittente Deo; nihilque à Deo intendi efficaciter, aut permitti potest, quod non eueniat re ipsa, & executioni mandetur. Non absimili ratione excluduntur à Deo actus efficaciter, & determinatè imperantes, & imperati virtualiter intrinsecè inter se distincti etiam circa obiecta inuicem absolute separabilia; esto admittantur in creatis tales actus imperantes, & imperati realiter inter se distincti. Quia actus Diuinus efficaciter, & determinatè imperans alium, foret inseparabilis ab ipso, vt patet; Ne dicatur frustrabilis actus aliquis Diuinus efficax. Atqui etiam imperatus foret similiter inseparabilis ab imperanti. Quia quilibet actus Diuinus pendet essentialiter à cognitione comprehensiua omnium præcedentium respectu ipsius, & reflectitur super ea omnia, volendo processum, & dependentiam sui ab illis. Fieri namque non potest, vt detur aliquid in Deo non volitum ab eodem pro eodem signo, pro quo datur, & eo modo, quo datur. Quia quilibet Diuinum est determinatio sui, vt sit Deus, non secus, quam vt sit tale, vel tale aliquod prædicatum. Vnde eo ipso, quod intelligitur esse secundum quod ipsum, intelligitur etiam habere omnia, quæ sunt propria Diuinitatis, quorum vnum est esse amorem omnium, quæ sibi insunt pro eodem priori, pro quo ipsa est. Forent igitur hi actus mutuò inseparabiles, ac proinde indistincti virtualiter intrinsecè, iuxta dicta; Quod est contra suppositionem.

Art. 8. Eadem indistinctio virtualis intrinseca apparet manifestius in intentione Diuina efficaci finis essentialiter connexi cum determinatis mediis connexis itidem essentialiter cum eodem fine determinatè, & in electione talium mediorum. Patet nimirum clarè, intentionem, & electionem talium finis, & mediorum, essentialiter esse inseparabiles mutuò, ac proinde esse indistinctas inter se virtualiter intrinsecè. Quæ omnia aduertere libuit specialiter in istiusmodi actibus, de quibus multi multa disputant, vt appareret speciali ratione illis repugnare distinctionem virtuales intrinsecas; tametsi admitteretur in Deo absolute possibilis multiplicitas actuum liberorum Dei distinctorum inter se virtualiter intrinsece, sibi que inuicem coexistentium. Caterum apud me vniuersaliori ratione excluditur multiplicitas virtualis intrinseca actuum Diuinorum, quorum distinctioni, & ordini tot à nonnullis inædificantur machina doctrinarum, & diuisionis signorum. Dicitur enim infra quæst. 27. totam Diuinæ Providentiæ amplitudinem constare vnico actu libero virtuali-

ter intrinsecè simplici. Interim, quæ hic prænotata sunt breuiter, oportuerit diligenter obseruare pro claritate, & intelligentia eorum, quæ dicuntur in decursu.

Art. 9. Colligitur denique, scientiam Dei mediam esse virtualiter intrinsecè distinctam, cum à prædicatis omnibus simpliciter necessariis, tum ab omnibus terminationibus liberis Deo, compossibilibus cum ipsa. A prædicatis quidem necessariis distinguitur; quia prædicata necessaria Dei sunt ex se indifferentia ad scientiam mediam hanc, & oppositam; cum neutra scientia media sit similiter indifferens respectu eorundem prædicatorum. Ergo prædicata necessaria Dei sunt separabilia non mutuò à qualibet scientia media determinatè sumpta, & ab eius opposita, impossibilibus inter se. Quod sufficit ad distinctionem virtuales intrinsecas, iuxta dicta. A terminationibus verò Deo liberis distinguitur similiter eadem scientia media; quia qualibet scientia media determinatè sumpta est rursus eodem modo indifferens, cum eadem separabilitate non mutuò, ad quamlibet terminationem liberam oppositam, atque impossibilem cum priori illa terminatione libera. Vtrobique igitur datur separabilitas non mutuò scientiæ mediæ ab extremis, cum quibus collata est in illatione. Ostensum autem est art. 4. separabilitatem eiusmodi non mutuam conuerti cum distinctione virtuali intrinseca. Per hæc itaque omnia apparet satis, an, & quatenus terminationes liberæ Dei distinguantur inter se, & à cæteris prædicatis ipsius.

Art. 1. Ad 1. Nulla plurium entitatum æquiualentia, per vnā simplicem, efficere potest, vt idem prædicatum simul adsit, & desit eidem secundum idem; vtque effectus formalis sit diuersus diuersitate reddente inuenticabilem vnum effectum formalem, cum verificatur alter effectus formalis. Nulla, inquam, entitatum æquiualentia efficere potest, vt hæc contingant, existente semper eadem adquatè forma, eodemque subiecto, seu quasi forma, & quasi subiecto, vtroque manente omnino inuariato obiectiue, & in se. Quia impossibile est vniuersaliter, vt idem secundum idem adquatè simul sit, & non sit. Cum ergo Deus de facto sit volens mundum, & sciens existentiam eius; potueritque non esse volens, & sciens ipsam; sed nolens eam, & sciens non existentiam: clare deprehenditur, pro verificatione istorum prædicatorum, & effectuum formalium inuicem impossibilem, oportere, vt prædicatis simpliciter necessariis Dei superaddatur prædicatum aliquod obiectiue, & in se non necessarium simpliciter, sed tantum ex suppositione.

Art. 2. Nempe, quod dicitur à nonnullo sufficere diuersitatem actus necessarij Dei tantum quoad modum se habendi, & quoad denominationem; satisfacere nequaquam potest intellectui, nec tueri sufficienter scopum, qui præfigitur, de sola, & pura æquiualentia, absque formalitate obiectiue, & in se intrinsece, & non solum quoad modum nostrum concipiendi, impossibile cum formalitate alia, & absque distinctione virtuali intrinseca vtriusque huius formalitatis à prædicatis necessariis. Nam dum his vocibus (*prædicata necessaria semper eadem entitatiue*) adduntur voces istæ aliæ (*variabilia quoad modum, quoad denominationem*) aut quid simile, oportet, vt significato priorum vocum superaddatur significatum posteriorum vocum obiectiue, & in se intrinsecè diuersum. Aliàs loquutio erit negatoria, & perperam voces vocibus superadduntur, quin superaddatur conceptus obiectiui conceptui obiectiui; & quæ dicitur variabilitas quoad modum, quoad denominationem; & similia, erit variabilitas quo-

ad solas voces pſitaceas, ſoloſque, ad ſummum, conceptus formales purè intellectuales, contrà quam poſtulat ratio propoſita de prædicatis obiectiuis inuicem re ipſa incompoſſibilibus, & inuicificabilibus ſimul à parte rei.

Art. 3. Quod aſſumitur in obiectione, ſufficere, pro omni obiecto ſimpliciter neceſſario vnum actum Diuinæ ſcientiæ, & voluntatis virtualiter intrinſecè ſimplicem, conuincit, me quidem iudice, ſufficere ſimiliter, vnam terminationem liberam, virtualiter intrinſecè ſimplicem, pro vna qualibet diſpoſitione vniuerſali omnium, & ſingularum rerum creatarum abſolutè poſſibilem, nullaque proinde duas terminationes Deo liberæ diſtinctas inter ſe virtualiter intrinſecè poſſe ſibi inuicem coexiſtere. Id quod efficaciter comprobatur quæſt. 15. de Incarnatione, & iterum confirmabitur infra quæſt. 27. Ceterum quia poſſibiles ſunt abſolutè plures rerum creatarum diſpoſitiones, & mutue coordinationes inuicem incompoſſibiles; neceſſe ſimiliter eſt, vt admittantur poſſibiles abſolutè plures terminationes liberæ Dei incompoſſibiles itidem mutuo, & conſequenter diſtinctæ realiter inter ſe, atque negabiles inuicem ſecundum ſe, ſaltem in abstracto, iuxta dicta art. 2. in reſponſione ad quæſtionem.

Art. 1. Ad 2. Ex terminationibus ad extra inuicem incompoſſibilibus, ea, quæ datur deſecto, ex gr. terminatio connexa cum exiſtentia mundi, identiſicatur realiter cum Deo, & per ipſam conſtituitur intrinſecè, ac identiçè Deus volens mundum, ad eum vtique modum, quo Paternitate conſtituitur Deus Pater, & Filiatione Deus Filius. Quæ eſt comparatio D. Thomæ loco ſupra indicato. Quapropter eadem terminatio eſt deſecto abſolutè infinita, immentia, &c. ac proinde infinite amata, & infinite æſtimabilis, atque laudabilis, communicante illi iſtos effectus formales, totamque iſtam perfectionem Diuinitatis, & naturæ Diuinæ; ſicut viciffim Diuinitati, ſeu naturæ Diuinæ communicat eadem terminatio libera effectum formalem connexæ determinatæ cum exiſtentia mundi, & volentis determinatè eandem exiſtentiam.

Art. 2. Ipſa quin etiam perfectio propria exigentiæ identiſicatis cum Deo, conuenit terminationi ratione Deitatis, ſicut inſi à dicitur de perfectione Perſonalitatum ratione eiufdem Deitatis. Præcedit nimirum virtualiter intrinſecè Diuinitas cum eadem exigentiâ vagæ identiſicatis ſui ad alterutram ex terminationibus ad extra, inuicem oppoſitis; Et quia ſimul præcedit iam ſe præciſe præhabens omnem puram perfectionem abſolutè poſſibilem, & eam omnem ſpecialiter, quæ eſt propria actualis volitionis, & cognitionis; ſiquidem præcedit iam exiſtens amor comprehenſiuus, & cognitio comprehenſiua ſui ipſius determinatè, ſimul reſpiciens diſiunctiue eſſe, & non eſſe creaturarum. Quia, inquam, ſic præcedit Diuinitas; ea exigentiâ mutue identiſicatis cum terminatione libera eſt pure quaſi actiua, ſeu actiue communicatiua totius eius perfectionis ex parte ipſius Diuinitatis; ex parte verò terminationis quatenus non neceſſaria ſimpliciter, eadem exigentiâ identiſicatis, ob rationem contrariam; eſt pure quaſi paſſiua, receptiua perfectionis, ſoliusque determinationis, ſeu connexionis determinatæ eſt communicatiua quaſi actiue. Ex quibus apparet, punctum præcipue intentum in hac, & præcedenti quæſtione; nempe amorem, & cognitionem Dei circa effectus creatos, conſtitui partim ex entitate, ſeu eſſentia Dei ſimpliciter neceſſaria; partim ex terminatione, ſeu habitudine ad extra neceſſaria tantum ex ſuppoſitione; & neutram ex his formalitatibus ſeorſim, & ſecundum ſe eſſe amorem, vel odium, aſſirmationem, vel nega-

tionem, exiſtentia creatæ præterquam inadæquatæ; ac demum rationem amoris, & cognitionis formaliter correfpondere formalitati ſimpliciter neceſſariæ; rationem verò connexionis determinatæ, ſeu determinationis correfpondere formaliter formalitati liberæ, ſeu non neceſſariæ ſimpliciter ad eum vtique modum, quo Deus Pater conſtituitur formaliter Deus per Diuinitatem, & Pater per Perſonalitatem, ſeu per relationem generantis.

Art. 3. Hæc eadem, quæ dicta ſunt de terminatione exiſtenti deſecto, eidemque conueniunt abſolutè dicuntur etiam, & conueniunt conditionaliter tantum, ſeu potius poſſibiliter tantum, oppoſitæ terminationi liberæ, quæ, quatenus talis, non datur deſecto. Quia videlicet hoc habet ex ſuo conceptu, vt, ſi daretur in ratione determinantis Deum, eo ipſo daretur in ratione habentis, per realem, & perfectam identiſitatem, infinitam perfectionem, & amabilitatem, tantam ſcilicet, quanta eſt perfectio, & amabilitas eſſentiæ Diuinæ, imò haberet eandem prorsus, & haberet tantundem communicatam ſibi, & tam ſuam, quantum communicatur ipſi eſſentiæ Diuinæ, & quàm eſt ſua ipſius. Vnde non magis dici poteſt contemptibilis, aut inamabilis terminatio libera Dei, dum non eſt, ſeu non exiſtit ſecundum ſuum eſſe reſpectum ad extra; quam homo dici poſſit irrationalis, dum non exiſtit. Verum neque actualiter contempta, aut odio habita à Deo, dici poteſt eadem terminatio, quatenus actualiter eſt omiſſa, & nolita à Deo, atque impedita quominus ſit in ſe intrinſecè quoad ſuum eſſe reſpectum. Quia non impeditur, ac reſicitur ratione ſui, ſed ratione perfectionis, vel imperfectionis creatæ inducendæ, vel impediendæ media ipſa terminatione, quæ formaliter ſumpta comparatur ſolum, vt quo, cum dicta perfectione, & imperfectione. Cauendum eſt in tota iſta materia, ne quis perinde, aut cogitet, aut loquatur quoad omnia de formalitatibus, atque de entitatibus diſtinctis realiter adæquatæ, ſed ſunt adhibendæ vbique diligenter præciſiones, & præcautiones, iuxta dicta ſuperius; vt iterum obſeruabitur infra quæſt. 38. ex communi conſenſu PP. & Theologorum circa myſterium Trinitatis, cui dictum eſt eſſe valde affine myſterium Diuinæ libertatis.

Art. 4. Ea porro differentia formalitatum Diuinorum à formalitatibus creatis eſt obſeruanda præcipue in re præſenti circa conceptum exiſtentia actualitatis, & perfectionis. Cum enim nulla formalitas creatæ deſicere, aut deſectibilis eſſe poſſit, quin eo ipſo deſicere, aut deſectibilis eſſe poſſit, quoad ſuam exiſtentiam, actualitatem, & perfectionem; facile incautis obrepit exiſtimatio, quod ſimiliter repugnet in Deo formalitas, quæ ſit deſectibilis, ſecundum aliquem conceptum ſuum obiectiuum, quin eo ipſo ſit deſectibilis à parte rei, quoad peculiarem aliquam ſuam exiſtentiam, actualitatem, & perfectionem. Quæ tamen exiſtimatio eſt falſa, abſurda, & nullatenus admittenda, certè, contradicte omnino meæ, eidemque proculdubio legitima exiſtentiæ, & ſententiæ circa terminationes liberæ Diuinæ. Quas videlicet ita aſſero contingentes quoad denominationem, connotationem, habitudinem, & reſpectum Dei ad extra, & quoad connexionem, aut incompoſſibilitatem vltimò determinatam cum rebus creatis, vt tamen in exiſtendo contingentes nequaquam ſint, ſed tota earum exiſtentia, actualitas, & perfectio ſit ſimpliciter neceſſaria, atque omnino indefectibilis, vt potè indidincta, & realiter, & virtualiter intrinſecè à prædicatis neceſſariis Dei, atque vna, & eadem, & penitus ſimplex in terminationibus inuicem incompoſſibilibus, eiſdemque communis, ſicut eſt communis eſſentia Diuina, ſeu Deitas. Quæ
qua

qua ratione coherere inuicem possint in Deo, tamen si nihil tale contingere possit in rebus creatis, apparebit infra loco indicato.

Ad 3. Separabilitas quoad esse inter duo obiecta creata infert, iuxta dicta, possibilitatem duarum terminationum liberarum Dei inter se impossibilitatem, atque adeo distinctarum inter se. Infert enim possibilitatem volitionis circa alterum ex illis obiectis coniungibilis cum nolitione circa alterum, quae nolitio est impossibilis cum volitione eiusdem obiecti; sicut etiam prior illa volitio est impossibilis cum nolitione circa idem obiectum. Quo eodem argumento manifeste concluditur, iuxta dicta, possibilitas tot, ut minimum, volitionum, & nolitionum Diuinarum distinctarum inter se realiter quoad terminationem liberam ut liberam, quot possibiles sunt collectiones rerum creatarum inuicem separabilium realiter, siue mutuo, siue non mutuo. Caterum nulla eiusmodi rerum creatarum separabilitas inter se conuincit possibilitatem aliquarum duarum volitionum Dei liberarum, vel etiam virtualiter intrinsece distinctarum coexistentium sibi mutuo, seu valentium sibi inuicem coexistere. Quod ratio objectionis sufficienter persuadet, efficacius demonstrabitur infra in praedicta quaest. 27.



QVÆSTIO XXIII.

Vtrum Voluntas Dei rectè diuidatur in antecedentem, & consequentem; & in voluntatem beneplaciti, & signi?



IDETVR non rectè diuidi, 1. Quia nullae duae terminationes liberae Dei inter se distinctae possunt sibi inuicem coexistere, ut modò dictum est. Nequit autem aliqua volitio habere rationem, vel antecedentis, vel consequentis respectu terminationis non coexistentis sibi. Quia quod non est, nec antecedit, nec consequitur ad id quod est. Et similiter repugnat, ut habeat rationem, vel signi, vel beneplaciti volitio non existens. Ergo neutra diuisio subsistere potest.

2. Quod est volitum antecedenter tantum, & non est volitum consequenter, non potest esse volitum propriè à Deo. Quia quod est volitum propriè à Deo, necesse est, ut eueniat. Non autem euenit, quod est volitum tantum à Deo antecedenter. Idem autem contingit in eo, quod est volitum à Deo voluntate tantum signi. E contra, quicquid est volitum à Deo voluntate, vel consequenti, vel beneplaciti, eo ipso necesse est, ut eueniat, estque volitum à Deo propriè. Ergo voluntas Dei neque propriè, neque impropriè sumpta legitime diuiditur in antecedentem, & consequentem; beneplaciti, & signi.

3. Vtralibet ex iis diuisionibus coincidit cum altera. Quia quicquid est volitum à Deo voluntate beneplaciti, eo ipso non potest esse volitum voluntate tantum antecedenti, sed eo ipso est volitum voluntate etiam consequenti; & è conuerso. Similiter quicquid est volitum à Deo voluntate etiam consequenti, eo ipso est volitum voluntate beneplaciti. Eademque est proportionalis ratio de voluntate purè antecedenti, & de voluntate solius signi inuicem comparatis. Ergo superfluit altera ex dictis diuisionibus.

Art. 1. Respondetur. Voluntas libera Dei diuiditur vniuersi Theologorum consensu in antecedentem,

tem, & consequentem; beneplaciti, & signi, cum D. Thoma q. 19. art. 6. 11. & 12. Inducta autem est ea diuisio ad erigendum sensum legitimum, & ad inuicendam concordiam plurium locutionum sacrae scripturae, & sanctorum PP. inuicem oppositarum quoad speciem, & quoad verba, ut sonant, cum re ipsa nihil inter se dissident. Neutra diuisio continet in se distinctionem, aut realem, aut virtutalem inter aliquos duos actus Diuinos sibi inuicem coexistentes. Quia nulla talis distinctio actuum datur in Deo, ut nuper dictum est. Solam igitur continet distinctionem rationis extrinsecam per ordinem, & relationem ad obiecta, & connotata creata realiter inter se distincta: quae respicit Diuinam voluntatem in ratione effectus inducendi per ipsam, aut positivè, aut saltem permissivè.

Art. 2. Itaque voluntas Dei dicitur antecedens respectu alicuius effectus, quatenus vult illum præcisè, ut contentum in aliqua causa secunda sufficienti, quantum est ex se, ad illum ponendum à parte rei, & insuper habente aliquam inclinationem inditam sibi à Deo ad productionem illius cum præcisione tum à cooperatione, tum ab impeditione realis productionis, & executionis, prouenientibus ab eadem illa causa; vel ab aliis causis secundis. Dicitur verò consequens voluntas Dei, quatenus versatur circa effectum aliquem creatum secundum se ipsum immediatè, & cum omnibus circumstantiis requisitis, & existentibus re ipsa à parte rei, atque adeo cum inclusione seu cooperationis, seu impeditionis prouenientium ex causis secundis. Hinc fit, ut quoddam effectus Deus velit voluntate antecedenti; simulque nolit voluntate antecedenti; quoddam verò alios, vel utraque velit, vel neutra. Utraque voluntate vult ex. gr. salutem Praedestinatorum; neutram salutem hominum purè possibilem; alteram tantum, videlicet antecedenti, & non consequenti; salutem Reprobatorum. Quapropter, dum dicitur, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, subintelligenda est sola voluntas antecedens; quatenus Deus omnibus dat sufficientiam, quantum est ex se, ut saluentur, idque spectat ad voluntatem antecedentem; licet non ab omnibus remoueat, aut velit efficaciter remoueri omnia impedimenta salutis, quae prouenire possunt à libera vniuersiusque voluntate, vel ab aliis causis secundis. E contra dum dicitur, *Deum nolle saluos facere eos, qui damnantur de facto*, subintelligenda est negatio solius voluntatis consequentis, quae permittit impeditionem salutis eorum indidem prouenientem.

Art. 3. Iam Diuina voluntas beneplaciti est voluntas propriè talis adequatè intrinseca Deo. Quia est ipse Deus, ut dicit D. Thomas de verit. q. 23. art. 5. & ad 6. Nempe voluntas beneplaciti dicitur ea, quae Deus respicit effectus creatos formaliter, ac præcisè, quatenus substantes suae electioni liberae efficaci. Voluntas verò signi est metaphoricè tantum voluntas respectu effectus, respectu cuius dicitur voluntas signi, & includit in suo conceptu effectum aliquem temporalem volitum à Deo voluntate beneplaciti, atque versatur circa effectus pendentes à libero arbitrio creato, quatenus directos à Deo, ut conuenienter operetur. Tribus autem modis principaliter dirigitur à Deo arbitrium creatum, præcepto videlicet, consilio, & prohibitione. Minus verò principaliter, duobus insuper aliis modis; operatione scilicet, & permissione. Vnde fit, ut triplex voluntas signi attribuat Deo principaliter, & duplex præterea alia minus principaliter. Ratio huius attributionis, & locutionis respectu Dei est. Quia homines, saltem ut plurimum, volunt voluntate propriè tali, quae præcipiunt, & consulant, nec non quibus